Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37127
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

omnes sub nube fuerunt / et omnes mare transierunt / et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari / et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt / et omnes eundem potum biberunt / bibebat autem de spiritali consequente eos petra petra autem erat Christus

Gr. Miserere mihi domine secundum magnam misericordiam tuam / et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam / amplius lauame ab iniquitate mea et a peccato meo mundame / quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est / tibi soli peccavi et malum coram te feci / ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris / ecce enim veritatem dilexisti incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi / aspersis me hysopo et mundabor lavabis me et super nivem dealbabor / auditui meo dabis gaudium et laetitiam exultabunt ossa humiliata / averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele / cor mundum crea in me deus et spiritum rectum innova in visceribus meis / ne projicias me a facie tua et spiritum sanctum tuum ne auferas a me / redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me / docebo iniquos viias tuas et impii ad te convertentur / libera me de sanguinibus deus deus salutis meae / et exultabit lingua mea justitiam tuam / domine labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam / quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique holocaustis non delectaberis / sacrificium deo spiritus contribulatus cor contritum et humiliatum deus non despicies / benigne fac domine in bona voluntate tua Sion ut aedificentur muri Jerusalem / tunc acceptabis sacrificium justitiae oblationes et holocausta / tunc imponent super altare tuum vitulos / Alleluia. Ad offertorium non dicitur tractus nisi in dominicis et festis

Sm. math

In illo tempore dixit dominus parabolam hanc Simile est regnum caelorum homini patrifamilias qui exivit primo mane conducere operarios in vineam suam Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno / misit eos in vineam suam Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos et dixit illis Ite et vos in vineam meam / et quod justum fuerit dabo vobis Illi autem abierunt Iterum autem exivit circa sextam et nonam horam / et fecit similiter Circa undecimam vero horam exivit / et invenit alios stantes et dicit illis Quid hic statis tota die otiosi Dicunt illi Quia nemo nos conduxit Dicit illis Ite et vos in vineam meam Cum autem factum esset dicit dominus vineae praetori suo Voca operarios et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerunt acceperunt singulos denarios Venientes autem primi arbitrati sunt quod plus essent accipiendum acceperunt autem et ipsi singulos denarios Et accipientes murmurabant adversus paterfamilias dicentes Hi novissimi una hora fecerunt et pares illos nobis fecisti qui portavimus pondus diei et estus At ille respondens unum